

**DIES VIGESIMA SEPTIMA SEPTEMB.
DE SS. COSMA, DAMIANO, ANTHIMO,
LEONTIO ET EUPREPIO MM. ÆGIS IN
CILICIA.
ACTA**

**Auctore anonymo. Ex codice Ms. bibliothecæ
Vaticanæ Interprete J. S.**

[Sanctorum interrogatio & libera confessio:] Consulibus Diocletiano & Maximiano, præfecturam gerente Lysia, in civitate Ægis VII Kalendas Decembris (mensis Novembris die XXV) sedens pro tribunali præses in templo, dixit: Accerse homines pravæ religionis Christianorum. Officium dixit: Adstant coram tribunali tuo, domine. Præses dixit: Cujus religionis estis, aut cujus estis fortunæ, aut quæ vobis sunt nomina, aut ex qua estis civitate? Cosmas & Damianus dixerunt: Sumus ex civitate Arabiæ. Præses dixit: Qui vero nominamini? Cosmas dixit: Ego Cosmas vocor, frater autem noster Damianus. Ex genere sumus præstantissimo, medici instituto: habemus vero alios Fratres: & horum, si jubes, nomina dicimus. Præses dixit: Dicite audacter. Cosmas dixit: Anthimus, Leontius, Euprepius nominantur. Præses dixit: Cujus religionis estis? Cosmas dixit: Christiani sumus. Præses dixit: Negantes Deum vestrum, accedite, & sacrificate diis magnis, qui totum fabricaverunt orbem. Cosmas & Damianus & Anthimus & Leontius & Euprepius, tamquam ex uno ore dixerunt: Deos quidem tuos inanes, & simulacrum tuum negamus: neque enim homines vocantur, sed dæmones: unde & dæmones vobis similes nominatis deos.

[2] [torti prius, mari injiciuntur, ac divinitus servantur.] Præses dixit: Pedibus manibusque eorum vinctis, vehementer eos cruciate, donec consentiant deis

sacrificare. Ubi vero cruciabantur, clamabant dicentes: Lysia præsides, diligentius nos corripe: neque enim nos torquemur. Præsides dixit: Ego quidem per paucos hosce cruciatus persuadere vobis volebam, ut sacrificaretis. Nunc igitur injuria afficitis imperatorem & me. Jubeo vero poni vos, & in mare projici. Ubi vero erant projecti, vincula soluta sunt: & aqua eos levans, illæsos in terra deposuit. Præsides dixit: Docete & me artem magicam, & vobiscum communicabo. Cosmas & Damianus dixerunt: Sequere nos in nomine Domini. Lysias præsides dixit: In nomine Dei mei Adriani sequar vos: ac subito adfuerunt duo dæmones, & apprehenderunt præsidem, ipsumque verberarunt. Mutatis ejus maxillis, dixit præsides: Perspicite, quod dii mihi facti sint irati, quoniam eos dereliquerim. Cosmas & reliqui dixerunt: Dii vestri cæci & muti sunt & lapidei: habitacula sunt dæmonum. Et quo modo lapides irascantur? At Deus noster immortalis est & verus & justus judex.

[3] Præsides dixit: Non ultra patior vos ita blasphemantes in deos. [Sancti in crucem sublatis, frustra lapidibus impetuntur] Ubi igitur multis ipsos subjecisset cruciatibus, nihil profecit. Cum non posset illos ad consensum perducere, jussit virgulta & ligna afferri, eosque in rogam injici. Illis vero in rogam injectis, scissa est terra, ipsosque recepit: & continuo ignis loco discessit, delatusque est in adstantes. Et rursus, roga refrigerata, scissa est terra, & ascenderunt Sancti Dei. Præsides dixit: Quousque resistitis & blasphematis? Accedite & veneramini solum deos: & discedite valentes. Sancti Dei dixerunt: Imperatores insipientes, fatuos, & insanientes contemnimus, & lapides venerabimur? Tunc iratus præsides jussit Cosmam & Damianum in crucem agi. Cum vero in crucem acti lapidibus impeterentur, lapides e vestigio recedebant, & lædebant lapidantes.

[4] Tunc jussit præses venire cohortes quatuor militum & sagittariorum. [& sagittis: decollantur.] Sancti Dei non lædebantur: sed revertebantur sagittæ, occidebantque virorum ac mulierum quinque millia & factus est fluxus sanguinis occisorum. Videns vero præses, quod superatus esset a Sanctis, jussit eos omnes gladio occidi: & consummaverunt victoriam confessionis suæ Ægis in loco Adriani, die vigesima quinta Novembris, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

**DIES VIGESIMA SEPTIMA SEPTEMB.
DE SS. COSMA, DAMIANO, ANTHIMO,
LEONTIO ET EUPREPIO MM.
ÆGIS IN CILICIA.
ACTA ALTERA**

Auctore anonymo Ex editione Mombritii.

[Sanctorum comprehensio, prima interrogatio] Tempore Diocletiani & Maximiani imperatorum, sedente Clinio a pro tribunali in civitate Ægæa, quidam ex ejus officio dixerunt ei: Sunt hic quidam Christiani industrii artis medicæ: qui circueunt civitates & vicos, varios infirmos & spiritibus inmundis vexatos sanant in nomine ejus, qui dicitur Christus: & multa signa facientes, non permittunt homines templorum sacrificiis deos adorare. Præses audiens hæc, jussit, ut irent ex officio, qui comprehenderent eos. Cumque adducti fuissent; astantibus dicit eis præses: Circuitis civitates & vicos, & suadetis hominibus, ut non sacrificent diis. Dicit igitur, unde estis: aut cujus fortunæ: aut qui dicimini? Sanctus Cosmas respondit: Si hoc discere vis, præses: dicimus tibi cum fiducia: cives sumus Arabes: fortunam non habemus:

nec enim est apud Christianos fortuna, nec nominatur. Nomina nostra hæc sunt. Ego Cosmas dicor: frater meus Damianus. Sunt autem & alii tres: si vis, & illorum nomina dicimus tibi. Præses dixit: Et illorum nomina dicite. Beatus Cosmas ait: Antimus, Leontius, Euprepus.

[2] Præses ad officium dixit: Adducantur ante tribunal. [& libera confessio:] Abeuntes autem milites comprehenderunt eos, & adduxerunt ad præsidem. Intuitus autem præses eos, dixit: Audite præcepta mea: eligite, quod expedit vobis, & nolite inobedientes esse: & si meis verbis acquieveritis, grandes honores ac magnificos ab imperatoribus accipietis. Nam si non acquiescetis mihi, diversis modis pœnarum affligam vos: & cum multa exercuero in vos, negabitis Christum vestrum. Sancti Martyres quasi ex uno ore dixerunt: Fac, quod vis: Christum enim habentes adiutorem, non formidamus de tuis pœnis. Nos idolis non sacrificamus: sine oculis enim sunt, & sine sensu.

[3] Hæc audiens Præses, jussit eos extendi, & nervis cædi. [in cruciatu manent illæsi:] Sancti Martyres in ipsis pœnis dicebant: Domine refugium factus es nobis a generatione & progenie. Priusquam montes fierent, & formaretur terra & orbis, a sæculo & in sæculum tu es. Ne avertas nos in humilitate. Ipse enim dixisti: Convertimini filii hominum. Convertere, Domine, & deprecare super servos tuos. Hæc autem orantes permanserunt intacti in pœnis. Dixerunt autem ad præsidem: Majora horum adhuc infer tormenta, ut agnoscas fortitudinem in nos virtutis Dei esse. Quæ enim nobis intulisti tormenta, non nos contigerunt: sicut vides, corpore sani astamus tibi.

[4] [in mare projecti, emergunt incolumes:] Præses dixit: Ego quidem sperabam vos credere: propterea non graviora tormenta intuli vobis. Video enim vos in impietate vestra permanere; & non velle sacrificare diis:

ideo jubebo vos alligatos cathenis mitti in mare. Sancti Martyres dixerunt: Fac, quod vis, præses: cognoscere habes & in hoc virtutem Dei nostri. Tunc alligaverunt omnes milites cathenis: & ducebant, ut mitterent eos in mare. Martyres vero euntes cum gaudio psallebant dicentes: In via testimoniorum tuorum, Domine, delectati sumus, sicut in omnibus divitiis. Et, si ambulaverimus in medio umbræ mortis; non timebimus mala: quoniam nobiscum es, Domine. Virga tua & baculus tuus ipsa nos consolata sunt. Parasti in conspectu nostro mensam adversus eos, qui tribulant nos. Inpinguasti in oleo caput nostrum: & poculum tuum inebrians quam præclarum est. Et misericordia tua subsequatur nos omnibus diebus vitæ nostræ. Deduxisti nos Deus in portum voluntatis tuæ. Et hæc dicentes sancti Martyres pervenerunt ad locum. Et milites tenentes eos, jactaverunt in mare. Confestim autem angelus Domini stetit secus illos: & dirupit vincula eorum, & ejecit eos intactos.

[5] [redeuntque ad præsidem, qui factum magiæ attribuit.] Quæstionarii autem cum festinatione euntes, quæ contigerant, nunciaverunt præsidi. Præses autem jussit eos statim adduci in conspectu suo: & dixit eis: maleficia vestra omnes vicerunt: Docete & me etiam artem vestram. Sanctus Cosmas dixit: Absit: malefici nos non sumus, sed Christiani: & in nomine Dei nostri virtutem deorum vestrorum dejicimus. Et tu, si factus fueris Christianus; videbis per ipsum ista omnia: & cognosces cooperantem virtutem Christi. Præses dixit: In nomine dei mei Adriani, sequor vos, ubi eritis. Ista autem eo dicente, statim insiluerunt in eum duo spiritus mali: & erant flagellantes eum in maxillis ejus per horam unam. Tunc Præses exclamavit, dicens: Precor vos, Servi Dei, ut oretis pro me, ut liberer de ista pœna. Sanctis orantibus pro eo, statim fugerunt dæmones. Præses autem surgens de tormentis, dixit: Cognovistis quomodo dii recalcitraverunt adversum me: quoniam volui derelinquere eos: & quali

castigationi tradiderunt me. Sancti autem respondentes, dixerunt ei: Quomodo non cognoscis, insensate: quia a Deo facta est tibi misericordia: sed credis cæca & surda sanasse te idola: & deos eos nominas. Cognosce, qui præstitit tibi sanitatem, Dominum Jesum Christum: noli confidere in illis diis, quos colis.

[6] Præses hæc audiens, & non sufferens eorum constantiam, [Sancti in carcerem reducti,] dixit eis: Per deos, quia nunquam vobis acquiescam: sed diversis modis cruciabo, & corpora vestra bestiis tradam: ut discatis imperatorum obedire præceptis. Et hæc dicens, jussit eos duci in carcerem; usque dum cogitaret: quid de eis faceret. Ducentibus autem eos militibus, Sancti psallebant, dicentes: Cantemus tibi, Domine canticum novum, quia mirabilia fecisti. Salvasti enim nos ex affligentibus nos: & eos, qui nos oderunt, confudisti. Memor es misericordiæ tuæ Jacob, & veritatis tuæ domui Israël. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Et hæc orantes, finierunt noctem in hymnis & orationibus.

[7] Alia autem die sedens pro tribunali Lysius, jussit in conspectu suo eos astare. [deinde in ignem injecti, exeunt sani.] Cumque adducerentur, dicebant: Da nobis auxilium de tribulatione, Domine, & vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. Illi autem steterunt ante præsidem: & dixit ad eos præses: Acquiescitis sacrificare, aut permanetis in stulticia vestra? Martyres respondentes, dixerunt: Christiani sumus, & Deum nostrum non negamus. Fac nunc, quod vis: nos enim idolis non sacrificamus. Præses autem intuitus admirabilem sermonem eorum, jussit ligna sicca afferri, & accendi ignem copiosum, & in eundem eos mitti. Ministri autem, quod eis præceptum fuerat, fecerunt cum festinatione: & miserunt eos in ignem. Steterunt autem beati Martyres in medio ignis psallentes, & dicentes: Ad te levamus oculos nostros, Domine, qui

habitas in cælis. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum: & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum; donec misereatur nostri. Miserere nobis, Domine, miserere nobis, quia multum repleti sumus contemptione. Mitte nobis, Domine, adjutorium: & libera nos ab insurgentibus in nos; ne quando dicant, qui te non noverunt: Ubi est Deus eorum? Ita autem eis orantibus, statim terræmotus factus est magnus: & flamma exiliens conbussit multitudinem gentilium astantium. Martyres autem intacti exierunt ab igne, ita ut nec capillus eorum tactus esset ab igne: & sic steterunt in conspectu omnium. [8] Præses autem stupefactus de mirabilibus, quæ viderat, [Sancti rursum dicuntur torti in equuleo:] stetit per horam unam: & convocans eos, dixit: Per deos quia vehementer cogito propter vos: quod talem flammam artes vestræ magicæ devicerunt. Sancti autem Martyres dixerunt: Usque quo, inique, non cognoscis Dei in nos fieri misericordiam? Jubes enim nos lapidibus sine sensu sacrificare. Istud sane cognosce: quia non recedimus a Deo nostro, nec sacrificamus dæmoniis immundis. Iratus autem præses, jussit eos levari in eculeo: & cædi incessanter. Angelus autem Domini stans, auferebat ab eis dolorem. Quæstionariis autem deficientibus usque ad mortem, jussit deponi eos de eculeo: & venire ante tribunal. Venerunt autem: & steterunt ante eum hilari vultu, & gratia Dei pleni. Præses dixit ad eos: Per deos quia non vincent me maleficia vestra: sed affligam vos diversis modis pœnarum. Novissime autem corpora vestra avibus tradam. Martyres respondentes, dixerunt: Habentes in cœlo æternum Regem Dominum nostrum Jesum Christum, non pertimescimus tuas pœnas: Fac, quod vis: hæc enim frequenter audisti a nobis.

[9] [Cosmas & Damianus in crucem acti, lapidibus & sagistis frustra impetiti.] Tunc iratus Lysius præses, jussit sanctos Cosmam & Damianum crucifigi, & a multitudine

lapidari. Beatos vero Antimum, Leontium, & Euprepium flagellatos in carcerem duci. Quæstionarii vero crucifixerunt sanctos Cosmam & Damianum. Mittebat autem populus super eos lapides: & ipsi lapides super eos redibant. Videns itaque præses ministros plagatos, amplius furore accensus, jussit quattuor milites venire, & sagittare viros illos. Sanctos vero Antimum, Leontium, & Euprepium jussit de carcere ejectos juxta crucem astare. Emissis autem sagittis, non eos contigerunt: nam sagittæ super mittentes revertebantur. Intuitus autem hæc præses, & videns se victum in omnem virtutem suam: Cœpit male torqueri: & jussit capita eorum gladio amputari.

[10] [Capita Sanctis omnibus amputata.] Statimque suscipientes eos spiculatores, perduxerunt ad locum, ubi futura erat consumatio eorum. Euntes autem Martyres, tamquam ex uno ore laudantes Deum, dicebant: Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime: ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem: quia magnificasti in nos misericordiam tuam. Vir insipiens non cognoscet: & stultus non intelliget ea. Cum exurentur peccatores sicut fœnum: & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem. Populum tuum humiliaverunt, hereditatem tuam vexaverunt: ut intereat sæculum sæculi: tu autem altissimus in æternum, Domine. Et hæc dicentes beati Martyres extenderunt manus suas ad cælum, & orantes intra se dixerunt. Amen. Accedentes autem spiculatores, absciderunt gladiis capita eorum: & sic in tranquillitate & pace tradiderunt Deo animas suas, recipientes a Salvatore coronam victoriæ. Passi sunt autem gloriosi martyres Cosmas & Damianus, Antimus, Leontius, Euprepus, in civitate Ægæa quinto Calendas Octubres, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

**DIES VIGESIMA SEPTIMA SEPTEMB.
DE SS. COSMA, DAMIANO, ANTHIMO,
LEONTIO ET EUPREPIO MM. ÆGIS IN
CILICIA.
ACTA TERTIA**

**Auctore anonymo. Ex codice nostro
Ms. P. 155.**

[Sancti gratia curandi insignes, gratis omnia præstant:]
Temporibus Diocletiani & Maximiani erat quædam mulier
in civitate Egia, venerabilis ac timens Deum, nomine
Theodote. Hæc omnibus diebus serviens Deo, & piis
operibus insistens, & faciens mandata Dei, sanctos
geminos fratres Cosmam & Damianum enixa est. Quæ
cum eos nutrisset, & litteris instruxisset, medicinæ arte a
Spiritu sancto edocti sunt, curare secundum Euangelium
omnem egritudinem & omnem infirmitatem, non solum in
hominibus, sed etiam in jumentis, ut impleretur sermo
Propheticus: Homines & jumenta salvabis, Domine.
Passiones vero, quas curabant, hæc erant. Cecis visum in
nomine Jesu Christi restituebant, claudis gressum, surdis
auditum, mancis restorationem. Spiritus immundos
repellebant ex obsessis corporibus, & omnem
amaritudinem corpori humano detrahebant per gratiam
celestem. Hæc facientes a nullo, tam divite quam
paupere, aliquid accipiebant, mandatum Salvatoris
custodientes: Gratis accepistis, gratis date.

[2] [comprehensi & interrogati,] Eo tempore facta est
persecutio Christianorum in civitate Egia. Sedens itaque
pro tribunali Lisias, audivit vitam beatissimorum martyrum
Cosmæ & Damiani, & quæ & quanta per eos Dominus
circa egrotantes ageret, eo quod essent Christiani

medicinæ arte imbuti, circumeuntes, & alia multa signa in nomine ejus facientes. Audiens hæc præses, direxit quosdam, qui eos tenerent: & statim presentantur. Sancti vero Martyres stabant hilari vultu. Et aspiciens eos præses, dixit: Quare vos circumeuntes civitates vel provincias, quamplurimos cogitis recedere a deorum nostrorum cultura? Nisi acquieveritis mihi, diversis tormentis consumam corpora vestra. Primum quidem dicite mihi, cujus estis provintiæ, & quæ sunt nomina vestra? Sancti Martyres dixerunt. Hoc si vis scire, Arabiæ provintiæ cives sumus. Nomina autem nostra hæc sunt. Ego quidem Cosmas dicor, frater meus Damianus. Christiani autem sumus ex magno genere.

[3] [in mare projiciuntur, & sani emergunt:] Præses dixit: Ut ego video, perseveratis in his impietatibus vestris, nolentes converti ad deorum nostrorum culturam, ut impleatis præcepta imperatorum: propter hoc precipio vos vinctos in mare precipitari. Sancti Martyres dixerunt: Expecta paulisper, & videbis Dei nostri virtutem fieri e in nobis. Et vincti cathenis secundum præsidis preceptum pergebant gaudentes & psallentes: In via testimoniorum tuorum delectati sumus, Domine, sicut in omnibus divitiis. Propter nomen tuum, Domine, si ambulemus in medio umbræ mortis, non timebimus mala, quoniam tu nobiscum es, Domine. Virga tua & baculus tuus ipsa nos consolata sunt. Parasti in conspectu nostro mensam spiritalem adversus eos, qui tribulant nos. Impinguasti in oleo capita nostra poculo tuo novi Testamenti, inebrians nos: & misericordia tua subsequatur nos omnibus diebus nostris, perducens in portum voluntatis tuæ. Hæc illis psallentibus, venerunt ad locum, & miserunt eos in mare. Statim affuit angelus Domini, & disruptit vincula eorum, & disjecit eos de mari illesos. Milites vero venerunt, & nuntiaverunt præsidi, quod viderunt.

[4] [in igne similiter manent illæsi:] Audiens hec præses, & cogitans, quia nichil adversus eos prevaleret, nec posset eos separare a Christi fide, furore commotus, jussit afferri sarmentum, & ignem copiosum succendi, & ibi precepit mitti sanctos Martyres. Ministri ergo comprehensos Sanctos miserunt in ignem. Illi autem ambulabant in medio fornacis, sicut in paradiso exultantes & dicentes: Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in celo: respice in nos, Domine Jesu Christe, ut non dicant, qui non noverunt nomen tuum: Ubi est Deus eorum, in quo speraverunt? Orantibus hæc Sanctis, statim nutu Dei egressa est flamma, & combussit plurimos impiorum, & mortui sunt. Sancti vero apparuerunt illesi, ut nec capillus eorum exustus fuisset ab igne.

[5] Videns hæc præses, valde iratus est, & jussit Cosmam & Damianum crucifixos lapidari. [in cruce lapidibus & sagittis non læduntur:] Et crucifigentes, lapidabant eos. Lapidibus vero virtute Dei compulsi, retro conversi vulnerabant eos, qui lapidabant illos. Videns insanus iudex ministros suos vulneratos, furore accensus, jussit venire quatuor milites, qui eos sagittarent. Et fecerunt secundum præsidis precepta. Et accedentes milites, expenderunt omnes sagittas suas in Sanctos, & nichil nocuerunt eis. Sagittæ vero conversæ interfecerunt plurimam multitudinem virorum ac mulierum, ita ut fluvius sanguinis videretur currens in eo loco.

[6] Videns præses victam omnem malitiam suam, perturbatus est usque ad mortem, [tandem capite minuuntur.] & jussit gladio amputari capita eorum. Suscipientes eos carnifices, ducebant ad locum, ubi decollandi erant. Cumque ducerentur, tamquam ex uno ore psallebant, & dicebant sic: Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime, ad annuntiandum mane misericordiam tuam super nos. Sed vir insipiens non cognovit, & stultus non intelliget ea. Et

hæc dicentes venerunt ad locum, & extensis manibus ad Orientem, oculos intenderunt in cælum, & orantes in cordibus suis, sicut ex uno ore dicebant: Amen. Statim accedentes carnifices, gladio amputaverunt capita eorum, & sic in pace animas sanctas reddiderunt, suscipientes victoriæ palmam. Tunc piæ mentis homines rapuerunt corpora eorum, omnibusque rite gestis sepelierunt eos, fratres germanos spiritu & fide, ubi usque in presentem diem cælestia beneficia largiuntur in eodem loco.